



# DE INCURSIONIBUS A GALLIS IN ITALIAM FACTIS


QUAESTIO HISTORICA.

PARS I.

SCRIPSIT

GUILELMUS LACKNER.

Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Königl. Friedrichs-Gymnasiums  
zu Gumbinnen. Ostern 1887.



Gumbinnen, 1887.

1887. Progr. Nr. 4.





## De incursionibus a Gallis in Italiam factis.

Cum multos per annos post incendium Romae crebrae incursiones a Gallis in fines Romanorum factae sint, perspicuum mihi videtur Romanos tantas opes tum non habuisse, ut Gallos a finibus suis arcere possent. Quae sententia in libris historicorum Romanorum non invenitur. Polybius enim solus a vero abhorre non videtur, cum omnes ceteri multas et egregias victorias Romanorum memoriae tradant, ut Lewis, Untersuchungen ü. d. Glaubw. d. ä. röm. Gesch. II, 324 putet: „Vergleicht man die Angaben des Polybius mit denen der anderen Historiker, so ist es schwer, zwischen ihnen irgend welche Übereinstimmung zu entdecken oder zu glauben, dass sie sich auf denselben Gegenstand beziehen.“ Similia scripta videmus apud Niebuhrium R. G. III p. 86 s., apud Ihnium R. G. I p. 247 s., apud Clasonium R. G. I p. 265 s. Qui scriptores, cum aut Livium aut Polybium sequendum esse iudicent, Niebuhrius l. e. solus censet Livium his antiquissimis temporibus Polybio auctoritate praevalere. „Das unbedingte Vertrauen, inquit, welches Polybius für die ihm nahen Zeiten gebührt, kann sich nicht auf so alte erstrecken, worüber er nur in den Annalen suchen und die Vorfälle eines Jahres leicht übersehen konnte.“ Omnes ceteri auctores auctoritatem Polybii secuti quae Livius tradit plerumque omittunt neque inquirunt, quomodo narrationes Livii atque aliorum exortae sint. Neque tamen hoc dictum Schweglerii neglegendum est: „Nur dann kann man eine Tradition mit Sicherheit verwerfen, wenn man ihre Entstehungsweise aufgedeckt hat, und diese sie als Erfindung kennzeichnet.“ Age nunc accurate examinemus, quomodo illae narrationes Livii et aliorum exstiterint, et contemplemur, num Niese in Herm. XIII, 413 suo iure contendat: „Livius ist nicht nur von der ältesten Überlieferung (Fabius), sondern auch von der nächsten Stufe der Entwicklung durch eine Kluft getrennt, über die keine Brücke führt,“ et p. 412: „Ein weiter Abstand trennt den Livius vom Polybius; in der bunten Reihe gallischer Kriege und Siege, in der wir kaum die kurzen Nachrichten des Polybius erkennen, weiss Livius wohl gelegentlich von abweichenden Berichten, von der älteren Überlieferung des Polybius aber mangelt ihm jede Kenntnis.“ Hoc modo Niese Livio omnem fidem derogat, quod rationem chronologicam Polybii, ut infra demonstrabimus, eam intellexit, quae cum Livii omnino non consentiat. Mommseno tamen auctoritas Livii pluris aestimanda videtur, qui vir doctissimus, cum aliam rationem chronologicam a Polybio adhibitam esse velit, perspexit Livium et Polybium multis locis consentire. Quapropter, si quis demonstrare potest Polybium non eis rationibus chronologicis, quas Niese et Mommsen comprobant, usum esse, immo vero aliam rationem adhibuisse, qua plane cum Livio consentit, non dubium erit, quin Livius non modo non neglegendus sit, sed etiam apud eum inveniri possint, quae veterrimi annalium scriptores tradiderint.



Propterea operam dabimus, ut cognoscamus, quomodo narrationes Livii exortae sint. Narrationibus, quae nobis fictae videntur, remotis, quae supersunt cum narratione Polybii conferemus et tum perspicemus, num uterque scriptor eadem proferat, nec minus utrum apud Livium inveniri possint, quae veterrimi annalium scriptores tradiderint, necne. Ac si narrationes Livii, Dionysii, Plutarchi, aliorum explicabimus, hoc dictum Mommseni nobis praecipue respiciendum videbitur: „Das Wichtigste — inquit Forsch. II 341 — hierbei ist, die möglichst älteste Tradition herauszubekommen, diese ist dann die einzige geschichtlich in Betracht kommende Quelle.“ Propterea plerumque non quaeremus, qui annalium scriptores in usum adhibiti sint; — quid enim interest, utrum Livius Valerio an Licinio usus sit? utrumque enim eorum multa finxisse inter omnes constat.

Quaerendum autem nobis erit, quomodo Livius, Dionysius, alii fontibus usi sint, utrum eos ut Nissen, Nitzsch, alii putant, unum tantum fere ad verbum sequi contenti fuerint an elegerint, quae iis verisimilia aut ad lectores delectandos maxime idonea videbantur, et novam narrationem composuerint, cuius sententiae imprimis C. Peter, z. Kr. d. G. d. ält. r. Gesch. propugnator exstitit.

## Caput I.

### De Livio.

#### De primis incursionibus in Italiam factis.

Priusquam rem ipsam aggredior, quod ad Mommseni disputationem: „Über die gallische Katastrophe“ attinet, praemonendum est me ea tantum commemoraturum esse, quae mihi cum Mommseno non conveniunt.

Livius — V, 37 — dicit Gallos, qui Clusium oppugnaverint, „ab Oceano terrarumque ultimis oris“ venisse. Mommsen — Forsch. II 302 — Livio magnam temeritatem obicit, nam hunc locum priori repugnare — V, 33 — „eos, qui oppugnaverint Clusium, non fuisse, qui primi Alpes transierint, satis constat.“ Talis quidem dissensio apud Livium invenitur; nec vero inter hos duos locos, qui inter se paene consentiunt. Nam Livius — V, 33 — id modo reicit, Gallos, qui Clusium oppugnaverint, primos Alpes transisse, non id, eos omnino inde profectos esse. Sed Livius V, 35, 3 aliquid profert, quo haec sententia plane repudiatur: „Hanc gentem — scilicet Senones — Clusium Romamque inde venisse, comperio.“ Senones autem iam diu in Italia versatos esse, iam antea manifeste declaraverat — V, 34, 5.

Haec discrepantia aut levitate Livii aut usu duorum fontium explicari potest. Atque hoc verisimilius est, quod illae duae mentiones separatim apud alios scriptores inveniuntur. Diodorus enim XIV, 113 Clusium a Senonibus obsessum esse narrat, cum Dionysius Gallos, qui ex Gallia transalpina venissent, Clusium obsedissee, memoriae tradat; vide Dionys. XIII, 17: *Τούτοις τοῖς λόγοις οἱ Κέλτοι πειθόμενοι ἤλθον εἰς Ἰταλίαν καὶ Τρωρηῶν τοὺς καλουμένους Κλουσίους, ὅθεν ἦν καὶ ὁ πείσας αὐτούς, ἐπολέμων.*

Quae cum ita sint, suspicari licet Livium ad has res enarrandas duos fontes adhibuisse.

Permultis locis intellegi potest, unum fontem Livii haud ita a Polybii fonte abhorrere. Uterque enim commemorat Etruscos totam Italiam superiorem, cum primi Galli Alpes transgrederentur, obtinuisse (Liv. V, 33—35. Polybius II, 17); itaque Lewis, qui affirmat — l. l. 274



— neminem praeter Justinum hoc narravisse, errat. — Tum Diodorus duodecim urbes Etruriae in fines Padi colonias misisse, prodit; idem, corruptum quidem Livius profert, qui Etruscos duodecim oppida prope Padum sita, quorum nullum Venetorum erat, incoluisse dicit. Hanc Venetorum seiunctionem Diodorus omisisse videtur, quae tamen nihilo minus magni ducenda est, quod etiam apud Polybium — II, 17, 5 — invenitur.

Deinde Livius — V, 34, 9—35, 3 — nationes Gallicas Italiam superiorem incolentes eodem fere modo ac Polybius enumerat. Polybius populos trans Padum incolentes commemorat *Αἰόως, Αεβελίους, Ἰουμβρας, Γορομάνους*, Livius Insubres, Cenomanos, Libuos, Laevos; cis Padum Polybius *Βοίους, Αγγωνας, Σένωνας*, Livius Boios, Lingones, Senones. Ex hac comparatione facile intellegimus Mommsenium — l. c. p. 301 — erravisse dicentem: „Der merkwürdige detaillierte Bericht des Livius über die gallischen Ansiedelungen im Pogegebiet ist augenscheinlich nur eine Einlage des Pataviners.“ Polybius enim haec non minus accurate egit. Nec minus apparet, quantum Niese Livio afferat iniuriam, nihili faciens, quae de illorum temporum rebus gestis memoriae tradidit. — Si Mommsenius — l. l. p. 302 — explicat: „Dass die Gallier in das clusinische Gebiet einfielen, um sich dort bleibend festzusetzen, meldet Diodor und wiederholen alle übrigen Berichte“ errat; Diodorus enim segregans Senones, qui primi ad Clusium processerunt, ab iis Gallis, qui postea eo pervenerunt, de prioribus modo illud dicit. — Accedit, quod Polybius illi opinioni obstat, qui Gallos posteriore tempore Venetorum incursione in patriam revocatos esse narrat. Cuius ex iudicio nequaquam e veteribus domiciliis cesserunt et praedatum modo e finibus suis egressi sunt.

#### De profectione Gallorum adversus Romam suscepta.

Quapropter Galli contra Romam iter direxerint, ab aliis auctoribus aliter narratur; unde optime elucet, quomodo a posterioribus annalium scriptoribus nova semper additamenta adiecta sint. Quasi speculatores duo Romani Diodoro auctore missi sunt. Quibus cum Diodorus addat ius gentium a legatis Romanis laesum esse, apud fontem eius excidium urbis iam deorum poena apparet. Quod serioris aetatis scriptores magis magisque illustraverunt, narrantes legatos tribunos consulares anni insequentis creatos et deditionem creatorum a populo reiectam esse. Nam quin tribuni consulares creati nullo modo dedi possent, non erat dubium. Quis est, quin intellegat, quanta subtilitate Romani hic usi sint?

Mommseno putanti, hanc narrationem fide dignam esse, assentiri non possum, hoc unum mihi probabile esse videtur, speculatores Roma Clusium missos esse. Omni enim auctoritate caret Gallos, gentem rudem atque rapinarum cupidam, propter ius gentium laesum obsidione Clusii cecisisse et adversus Romam profectos esse. Facile intellegi potest, quomodo Galli Clusio frustra circumcesso viam secundum Clanum flumen commodam persecuti Romam pervenerint eamque repentino impetu occupaverint. Romani autem aegre ferentes, quod urbs a populo praedandi causa e finibus egresso capta esset, fabulam laesi iuris gentium finxerunt causamque quamobrem dii ab urbe poenas repetivissent. Idem iam Ilnius — R. G. I, 222 — exposuit, qui de talibus incursionibus dicit: „Wenn Völker auf der Wanderung sind und Beute oder neue Wohnsitze suchen, so bedarf es keiner besonderen Aufreizung, sie gegen diesen oder jenen Feind zu führen. Was ihnen im Wege liegt, was sie bezwingen können, kommt ihnen gerade recht. Sie haben keine andere Politik, und alle anderen Motive sind ihnen fremd.“



Nunc quaerendum est, quibus fontibus Livius usus sit. Nobis Livium cum Dione Cassio conferentibus luculenter apparet utrumque ex eodem fonte hausisse. Quocum Livius alium fontem coniunxit, qui persaepe alteri sine dubio repugnat. Ut unum afferam, Clusini Romanorum socii atque amici significantur — V, 35, 5 — quamquam brevi ante dictum erat — V, 35, 4 — eis nullum ius societatis amicitiaeve fuisse. Magni momenti est, quod ex Appiano — IV, 2 — comperimus hanc quoque mentionem traditam esse.

Ac primum quidem quae Dioni cum Livio communia sunt, contemplemur; age nunc haec exempla in medium proferamus:

Dio Frg. 25, 1, 2.

οἱ Κλοῦσιοι πρὸς τοὺς Ῥωμαίους κατέφυγον — ἐπειδὴ τοῖς Οὐγήνταις καίπερ ὁμοφίλοις ὄσιν οὐ συνήρατο. ὡς δὲ ἐκεῖνοι τὴν μὲν ἐπικουρίαν οὐκ ἐψηφίσαντο, πρέσβεις δὲ πρὸς τοὺς Γαλάτας πέμψαντες. ἐπὶ γὰρ μέρει τῆς χώρας προετίθειτο σφίσι.

συμπεσόντες δὲ τοῖς βαρβάροις ἐκ τῶν λόγων ἐς μάχην τοὺς τῶν Ῥωμαίων πρέσβεις παρέλαβον

τὸ μὲν πρῶτον ἀπαπέστειλάν τινας ἐς τὴν Ῥώμην, αἰτιώμενοι τοὺς πρέσβεις

εἰτ' ἐπειδὴ μήτε τιμωρία σφίσι ἐγένετο καὶ χιλιάρχοι πάντες ἀπεδείχθησαν Γαλάται θυμοῦ ἐπληρώθησαν ὄντες καὶ ἄλλως ὀργὴν ἄνθρωποι

καὶ Κλοῦσιοι ἐν ὀλιγοσύνῃ θύμενοι

Consensio tam accurata est, ut sententia non reicienda sit aut Livium et Dionem communem fontem adhibuisse aut Livium a Dione exscriptum esse.

Nunc ad ipsam pugnam ad Alliam commissam transeamus.

#### De pugna ad Alliam commissam.

Etiam hanc pugnam describens Livius duos fontes confudisse mihi videtur, quorum alter ei cum Dione communis est. Dio — frg. 25, 3 — memoriae tradit „Romanos a Gallis appropinquantibus improvise superventos cum exercitu nequaquam expedito hostibus obstitisse, cuius duces, in pugna terrore quasi attoniti, pristina Romanorum arte bellandi uti non potuissent.“ Quacum narratione Livius alteram coniunxit, qua traditur, „Romanos de protectione Gallorum suo tempore certiores factos diligentissime bellum comparasse et cum ingenti exercitu Gallis obviam ivisse.“ Quibus narrationibus a Livio confusis, multae discrepantiae enascuntur. Haec tantum afferam. V, 37, 2—3. Livius narrat, tribunos consulares delectum nihilo accuratorem quam qui ad media bella haberi solitus esset, habuisse. Attamen subsidiarios in cornu dextro constitisse memoriae prodit.

Liv. V, 35, 4.

quod Veientes consanguineos adversus populum Romanum non defendissent, legatos Romam misere 5. de auxilio nihil impetratum est, legati missi sunt.

Gallis egentibus agro partem finium concedant.

36, 5. cum illi — ferociter dicerent, ad arma discurritur et proelium conseritur, ibi legati arma capiunt.

8. (vicere seniores), ut legati prius mitterentur questum iniurias postulatamque, ut dederentur.

ut quorum de poena agebatur, tribuni militum consulari potestate crearentur. 37, 4 flagrantes ira, cuius impotens est gens.

36, 8 omissa inde in Clusinos ira.



Tum Livius — V, 38, 3 et 4 — cum Dione consentiens narrat Brennum initio dextrum cornu Romanorum adortum esse. In sequentibus autem, plane id oblitus, dextrum cornu restitisse et sinistrum in flumen inmissum esse commemorat.

Fragmentum Dionis — 25, 3 — haec verba exhibet:

*πρὸς γὰρ τὸ ἀδόκητον τῆς ἐπιστρατείας — ἐκπλαγέντες τῆς ἐμπειρίας ἅμα τῆς τῶν τακτικῶν ἐπιλάθοντο* z. t. l.

Quo cum fragmento haec verba Livii — V, 38, 4 — conferenda sunt:

adeo non fortuna modo, sed ratio etiam cum barbaris stabat, in altera acie nihil simile Romanis non apud duces, non apud milites erat.

Deinde Livium eadem pronuntiatione duos fontes dissentientes coniunxisse, ex hoc loco intellegi potest:

V, 28, 2 „paulum erat ab dextera editi loci, quem subsidiariis replere placuit, eaque res ut initium pavoris ac fugae sic una salus fugientibus erat.“ Eandem autem rem initium fugae ac unam salutem fuisse, mihi persuadere non possum.

Tum Livium ipsum ignoravisse, quomodo pugna commissa sit, hoc quoque loco comprobatur — V, 38, 5 —. Hic ei mirandum videtur, quod Romani non Romam, sed maximam partem Veios fugerint, quamquam iis Tiberis transnatandus fuit. Fons autem, qui ei cum Dione communis est, perlucide demonstrat, totam Romanorum aciem in flumen deiectam esse.

Denique Livius V, 38, 6 et 10 — tradit maximam partem cornus dextri Romam pervenisse, nihilo minus alio loco defensores in urbe defuisse prodit. Haec discrepantia, quam iam Mommsenus l. l. p. 314 ostendit, facile explicari potest, quod hic duo fontes inter se coniuncti sunt.

Jam perspicere possumus, pugnam Alliensem ab auctore fontis, quem Dio in usum adhibuit, eodem fere modo descriptam esse, quo apud Diodorum depingitur. Diodorus enim — XIV, 114 — hanc descriptionem pugnae profert: Romani in sinistra Tiberis ripa ad orientem versi ita constiterunt, ut cornu sinistrum flumen attingeret, dextrum autem in collibus staret. Galli, cum aciem ita instructam viderent, in dextro cornu vires Romanorum positas esse, putaverunt, quare hoc ipsum aggredi constituerunt. Quae spes eos non fefellit; fusum dextrum cornu in sinistrum se immisit idque perturbavit et in flumen depulit. Ita tota Romanorum acies a Gallis a latere succedentibus quasi convoluta et in flumen deiecta est.

Nec minus illa quaestio supra posita, utrum Livius et Dio fontem communem adhibuerint, an Livius a Dione exscriptus sit, dissolvi posse mihi videtur. Cum multum absit, ut putemus Dionem illam tantum descriptionem pugnae, quae cum Diodori descriptione consentit, ex Livio exscripsisse, contendere non dubitamus, Livium et Dionem ex eodem fonte hausisse, Livium autem praeter hunc fontem etiam altero auctore usum esse.

### De oppugnatione Romae.

Livium oppugnationem Romae describentem ex fonte Dionis hausisse demonstrari potest, quamquam Dionis fragmenta, quibus ad id demonstrandum utamur, non exstant. Zonaram enim omnia, quae profert, aut ex Dione aut ex Plutarcho exscripsisse, adeo, ut altero exempto, alter supersit, inter omnes constat. Atque de Roma capta Zonaras omnia ex Plutarcho sumpsit exceptis tribus his locis:



1) 7, 23 Romani, qui in urbe remanebant, cum uxoribus et liberis in Capitolium se receperunt.

2) Senes, qui post urbem captam sese ad mortem afferunt, alii consulares, alii sacerdotes fuisse narrant. Pro ea, qua esse solet, levitate Zonaras non videt Plutarchum dicere, et consulares et sacerdotes fuisse. Haud dubie hoc elucet, eum praeter Plutarchum secundum habuisse fontem, qui aut consulares aut sacerdotes protulit.

3) Secundum Zonaram Galli altero die, secundum Plutarchum tertio ad Romam perveniunt.

Quin Zonaras hos tres locos ex Dione sumpserit, dubitari non potest, cumque eisdem etiam apud Livium reperiamus, dilucidum est, nostro iure nos contendisse Livio et Dioni **communem** esse fontem.

|  |  |
|--|--|
| 1) Zon. οἱ δὲ σὺν γυναῖξι<br>καὶ τέκνοις ἀνδράμον<br>εἰς τὸ Καπιτώλιον | Liv. V, 39, 9 placuit cum coniugibus ac liberis in Capitolium concedere. |
|--|--|

2) Liv. V, 39, 13 dicit senes illos consulares fuisse et 3) apud eundem — 39, 8 — legitur Gallos secundo die cum copiis Romam invasisse. Hoc loco quidem non eadem, quae Zonaras profert, inveniuntur, cum Zonaras narret Gallos secundo die ad Romam venientes postero die — scilicet tertio — urbem introisse. Manifeste autem Zonaras, quae a Dione tradita erant, ita commutavit, quo efficeret ut Dio et Plutarchus inter se consentirent.

Lewis II p. 262 adn. 86 Livium falso interpretatus est, cum dicit: „lux altera“ ist der Tag nach der Schlacht, der „occasus solis“ der Abend desselben Tages, „lux appropinquans“ der zweite Tag nach der Schlacht; nach c. 41, 4 dagegen ziehen die Gallier postero die in die Stadt.“ Contra ille locus sic est intellegendus: Vespere eius diei, quo confligebatur, ante solis occasum Galli ad portas perveniunt (§ 2). Usque ad proximam primam lucem Romae est trepidatum. Primo enim adventu Gallos urbem aggressuros esse omnes opinabantur. Nam si urbem aggredi noluerunt, cur ab Allia statim ad Romam processerunt? (§ 6). Tum paulo ante solem occidentem impetus fieri potuit, sin aliter, futurum fuisset, ut dies Gallis conficeretur neque quod volebant consequerentur. Quod cum factum non esset, Galli nocte ad urbem oppugnandam usuri videbantur. Sed cum hac quoque opinione decepti essent Romani, sol oriens omnium animos timore liberavit (§ 8). Sed haud ita multo post Galli urbem intraverunt. Propterea secundo die hoc factum est et illud „postero die“ — Liv. 41 — non obstat iis, quae Livius supra dixit, ut Lewis censet, sed potius confirmat, nos illum locum recte interpretatos esse.

Pergamus Livium illustrare. Etiam ex aliis locis cognosci potest, eum duos illos; quos supra nominavimus, fontes composuisse. Narrat enim c. 39,9 constitutum esse, ut qui arma ferre possent, cum uxoribus et liberis Capitolium obtinerent. Nihilo minus Livius — 40, 2 — dicit, viros ab uxoribus discessisse easque flentes reliquisse. — Romanos cum uxoribus et liberis se in Capitolium recepisse Livius tradidit, quod fontem Dionis secutus est; alterum fontem in usum adhibuit, referens Capitolium solum ab armata manu occupatum esse.

#### Livius V, 45, 3—55, 5.

C. 49 narratur Camillum, antequam aurum in manus Gallorum veniret, cum exercitu



advenisse. Templum, uxores, liberos inspectantes Romanos vicisse, praesertim cum Camillus praeclarus ille dux iis praesesset neque Galli ut apud Alliam iis arte imperatoria superiores essent. Hostes fusos fugatosque esse. — Deinde acie a Gallis iterum instructa ad octavum miliarium, quod esset apud viam Gabijniam, conflictum esse proelio, quod multo magis proelium nominandum esset, castrisque expugnatis hostes ad unum omnes trucidatos esse.

Quis est, quin perspiciat, valde a fide abhorrere hanc narrationem? Victi ac fugati hostes sine dubio longius quam octo milia passuum aufugiunt neque statim iterum castra ponunt, ut pugnam redintegrent. Quae incredibilis narratio quomodo orta sit, intellegi non potest, nisi ex duobus fontibus coniunctim exscripta est. Priorem pugnam ex fonte Dionis translata esse necesse est, quippe qui solus tradat, uxores ac liberos in Capitolium subductos esse. Posterior pugna ex altero fonte sumpta est.

Liv. V, 50, 6 et 7 narrat matronas aurum, quo soluto Capitolium ab obsidione Gallorum liberatum est, contulisse, ut sacro auro abstineretur. Quamobrem matronis gratias actas honoremque additum esse, ut earum sicut virorum post mortem sollempnis esset laudatio.

Cum Diodorus — XIV, 116 — tradat matronis, cum aurum, quo Roma liberata est, contulissent, honorem decretum esse, ut etiam in urbe carpentis uterentur; et Plutarchus — Cam. c. 8 — matronis, cum donum votivum posuissent, honorem orationis funebris habitum esse, crederes Livium in fonte invenisse, quae a relationibus illorum auctorum abhorrerent. Nec vero ita est. Nam ex V, 25, 9 apparet Livium ea, quae fontes protulerunt, non memoria seiuncta retinuisse, donec ipse transcripsit.

Livius enim — V, 25, 9 — tradit: „Cuius (auri) cum copia non esset, matronae, coetibus ad eam rem consultandam habitis, communi decreto pollicitae tribunis militum aurum et omnia ornamenta sua in aerarium detulerunt.“ — ut donum votivum in templo Apollinis poneretur. — „Grata ea res ut quae maxime senatui unquam fuit; honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pileto ad sacra ludosque uterentur.“

Eadem ad verbum fere consentiens Plutarchus — Cam. c. 8 — narrat: *Χρυσίον δ' ἦν σπάνις ἐν τῇ πόλει· καὶ τῶν ἀρχόντων ὄθεν ἂν πορισθεῖη σκοπούντων. αἱ γυναῖκες αὐταὶ καθ' αὐτὰς βουλευσάμεναι τὸν ὄντα χρυσοῦν, ἐκάστη περὶ τὸ σῶμα κόσμον ἐπέδωκαν — Καὶ ταύταις μὲν ἢ σύγλητος, ἀποδιδούσα τιμὴν πρόπευσαν ἐψηφίσατο μετὰ θάνατον ὡσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναῖξι λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἔπαινον.*

Hunc honorem orationis funebris matronis habitum esse apud Livium non eo loco, quem supra exscripsimus, sed V, 50, 6 et 7 invenitur: „cum in publico deesset aurum, — a matronis conlatum acceperunt —. Matronis gratiae actae honosque additur, ut earum sicut virorum post mortem sollempnis esset laudatio.“

Livius igitur errore tantum duo illa praemia unum altero commutavit. Est autem unus ex illis Livii erroribus, quos multos protulit C. Peter, z. Kr. d. Q. d. ä. röm. Gesch.

Itaque Thouret Über den gallischen Brand, p. 148 errat, negans hanc discrepantiam inter Diodorum, Plutarchum, Livium sic posse explicari, ut Livius duobus fontibus usus esse dicatur.

Niehues in Indice lectionum — Monasterii 1880 — verbis Diodori supra relatis non accurate perlectis contendit — p. 15 — laudationem funebrem matronarum, Diodoro teste a senatu decretam esse, cum matronae urbe diruta aurum contulissent.



Clasonio p. 74 assentior, concedenti ea, quae Diodorus et Plutarchus tradiderunt, separatim exstitisse, sed reicio eius sententiam, qua putat, iam Licinium Macrum, non Livium demum duas illas narrationes ita inter se coniunxisse, ut supra demonstravi. Non est, quod hoc credamus, praesertim cum Clason longa opinionum serie adducatur, ut contendat, Livium et Plutarchum fontibus suis eo modo usos esse, qui a veri specie et ab omnium opinione longe abhorreat. — Quod Thouret dicit se putare, annalium scriptorem quendam, Caesari aequalem, cum hic amitam suam mortuam laudaret, narravisse, quomodo matronae ius orationis funebris assecutae essent, ego non reicio, praesertim cum Diodorus apud suum auctorem, quem esse aetate superiorem probabile est, nihil eius rei invenisse videatur.

Ad res gestas, de quibus modo dixi, pertinent duo fragmenta Claudii Quadrigarii apud Gellium n. a. XVII, 2: 1. „Cominius, qua ascenderat, descendit, atque verba Gallis dedit“ et 2. „putabant (Galli), eos, qui foris atque qui in arce erant, inter se commutationes et consilia facere.“

Idem fere, quod Claudius Quadrigarius fr. 1 tradit, scriptum videmus apud Livium — V, 46, 10 —. Sed cum Plutarchus et Diodorus idem memoriae prodiderint, nemo ob illam causam solam contendet Livium secutum esse Claudii auctoritatem. Alia vero est ratio alterius fragmenti (cfr. 2). Simile quid apud unum Livium (V, 47, 11) est: „Vulgatum erat, inter Veios Romanque nuntios commutare.“

Liv. V, 46, 4—11 dicit, quomodo et quamobrem Cominius Capitolium ascenderit.

Secundum antiquissimos annalium scriptores Cominius, sicut Mommsen p. 322 demonstravit, propterea missus est, ut obsessis subsidia ventura pronuntiaret. Posteriores demum scriptores dicunt eum esse missum, ut Camillus dictator diceretur. Antiquiores annalium scriptores non modo Diodorus, sed etiam Dio et Dionysius secuti sunt.

Quae Livius V, 46, 10 et 11 tradit, aliter explico ac Mommsen. Dicit enim Livius senatum Cominio mandasse, ut Romanos, qui Veis essent, cohortaretur, ut Camillum comitiis curiatis revocatum de exilio iussu populi dictatorem crearent. Deinde Cominio Veios reverso Camillum statim Ardea accitum esse. Sed addit Livius magis se credere, Camillum non prius dictatorem dictum esse, quam comitiis curiatis de exilio revocatus esset. Mommsen p. 324 de ea re profert haec: „Livius lässt den Camillus noch so lange in Ardea verweilen, bis er zurückberufen und seine Ernennung zum Diktator vollzogen ist. Die Darstellung ist sinnlos, warum hätte man in Rom bloss den Senatsbeschluss gefasst und nicht auch die beiden Folgeakte vorgenommen? Wie kam, wenn Cominus bloss jenen zurückbrachte, die Nachricht von der Vornahme der Folgeakte dem Camillus zu? Augenscheinlich hat Livius sich hier versehen u. s. w.“ Mommsenus non perspexisse mihi videtur Camillum non Romae, sed Veis de exilio revocatum dictatorem dictum esse. Secundum enim annalium scriptorem, quem Livius secutus est, non qui tunc Romae, sed qui Veis erant, recte pro populo Romano habendi erant. Livius dicit se hoc loco duos auctores habuisse, sed non credit alteri eorum ferenti, Camillum, lege in curiatis comitiis non lata, statim revocatum esse. Et recte ille quidem. Sed errat, quod putat, hoc in fonte suo traditum esse, qui haud dubie narravit Camillum iam Romae dictatorem dictum esse. Quo facto non mirum erat, si Camillus, ubi primum Cominius Veios rediit, Ardea accitus est.



Iam iis, quae Livius de incendio Gallico narravit, maximam partem examinatis, eum perpetuo minimum duobus fontibus usum esse cognovimus. Saepe alios quoque annalium scriptores commemorat, sed dubium est, num ipse inspexerit eos. Duobus autem illis fontibus Livius non, ut Niesio l. c. videtur, alternis utebatur nec ita, ut per aliquod tempus continue de uno eodemque fonte hauriret, alterum omitteret; sed semper amborum coniunctim habebat rationem.

## Caput II.

### De incursionibus, quas Galli a. 367 et 361 a. Chr. fecerunt.

Livius — VI, 42 — narrat Gallos a. 367 (a. Chr.) unam incursionem et alteram a. 361 — VII, 9 ss. — fecisse. Claudio Quadrigario auctore a. 367 Manlium certamine singulari cum principe Gallorum ad Anienem flumen dimicasse, ab aliis autem traditum esse illo anno Gallos agros Albanos vastavisse et anno 361 demum ad Anienem flumen pugnatum esse. Si ea, quae Claudius narrat, cum iis conferimus, quae alii auctores tradunt, apparet aut hos aut Claudium incursiones commutasse. Non est, cur putemus Livium hoc loco vetustiores annalium scriptorem quam Claudium adhibuisse. Propterea contendere non dubitamus ordinem Claudii ab uno ex posterioribus scriptoribus commutatum esse, quem omnes ceteri auctores secuti sunt, cum iis haec commutatio optima et idonea videretur. Antequam pugna ad Anienem flumen (a. 367) commissa ficta erat, ut infra demonstrabimus, incursio, qua agri Albani vastati sunt, prima post incendium a veteribus scriptoribus tradita erat. Illa autem pugna — a. 367 — inserta, haec incursio in fines Albanos facta secunda erat. Propterea optimum videbatur, his duabus incursionibus commutatis, veterum scriptorum ordinem restitui.

Claudius Quadrigarius ergo, quo vetustiores scriptores Livius hoc loco haud dubie non adhibuit, narravit a. 367 Manlium ad Anienem flumen certamine singulari dimicasse et a. 361 agros Albanos vastatos esse. Quin incursio a. 367 ex historia eicienda sit, dubitari non potest, cum non ficta esset, nisi hac illi scriptores declarare voluissent, quomodo Manlio cognomen Torquato inditum esset.

Nunc iam Livium cum Polybio conferre licet. Qui cum auctor prodatur anno tricesimo post incendium agros Albanos vastatos esse, hoc iam perspicui potest utrumque auctorem nisi uno anno non discrepare. At nos infra comprobabimus esse speramus etiam Polybium hanc incursionem eidem anno, cui Livius adscripsit, assignasse.

Nonnulli loci Livii accuratius inquirantur necesse est.

Codices Livii inter se discrepant, utrum „Claudium“ an „Cincium“ — VI, 42, 5 — legendum sit. Cum fragmenta Claudii, quibus certamen illud singulare Manlii describitur, exstant, inquirendum est, utrum Claudius in usum adhibitus sit necne. De qua re Peter, *Hist. Rom. rell.* p. 207 adfr. 10<sup>b</sup> et Clason *R. G. I* 266 Ann. 9 non consentiunt, cum Clason Livium Claudio usum esse neget, Peter affirmet. Quin etiam Peter Claudium non modo VI, 42, sed etiam VII, 9 exscriptum esse demonstrare suscepit. Clason in contrariam discedit sententiam, putans: „Wenn Livius zu der Stelle VII, 9 den verfrühten Bericht des Claudius herangezogen hätte, so müsste er es mit einem Worte angedeutet haben.“ Livium autem admodum raro fontem suum nominavisse inter omnes constat. „Dazu kommt,“ Clason pergit, „dass die Zweikampfbeschreibungen sich keineswegs so decken, wie Peter meint, obwohl auch hier anklingende



Worte vorkommen.“ Postremo videbimus, quae verba Clason „anklingende“ appellet, nunc primum inquiramus, quibus de rebus ex Clasonii sententia Livius et Claudius dissentiant.

„Nach Claudius ist der Gallier „nudus“, nach Livius „versicolori veste“ bekleidet,“ Clason contendit. At Clasonium verbum „nudus“ admodum falso interpretatum esse ex iis, quae sequuntur, dilucide intellegi potest. Cum Livius pergat: „(nudus) praeter scutum et gladios duo,“ manifestum est verbum „nudus“ non ad vestitum, sed ad armaturam spectare.

Tum Clason: „Claudius weiss nichts von einem Goldschmuck des Galliers, von dem doch Livius spricht.“ Quonam autem modo Clason verba Claudii, Gallum torque atque armillis decoratum fuisse, interpretatus est? Immo vero hoc ipso loco intellegi potest Livium eodem modo quo Claudium pugnam describere; quamquam enim Livius aliter ac Claudius in ornatu Galli depingendo nihil de torque attulit, tamen Gallum occisum a Manlio torque spoliatum esse narrat. „Nach Livius findet der Zweikampf auf der Aniobrücke statt, davon weiss Claudius nichts.“ Quod Clason non contendisset, nisi ab eo verba Claudii — apud Gellium IX, 13, 15 — neglecta essent: „ea congressio in ipso ponte utroque exercitu inspectante facta est.“ „Nach Claudius ist der Römer quidam T. Manlius, nach Livius wird er aufs bestimmteste als der Sohn des Diktators bezeichnet, dessen Erlaubnis zum Zweikampf er erst einholt.“ Quae cum narratio iis, quae de bello cum Latinis gesto proferuntur, simillima sit, intellegi potest, cur Clason per errorem lapsus sit, T. Manlium filium dictatoris appellans. T. Quinctium autem, non L. Manlium tum dictatorem fuisse traditum est. Vocabulum „quidam“ a Gellio, qui Manlium hoc loco primum nominat, additum esse mihi videtur.

Hoc modo cetera quoque argumenta Clasonii refelli possunt, sed longum est, haec omnia argumenta in medium proferre. Jam satis superque est.

Cum autem perspexerimus Clasonium non demonstrasse Livium et Claudium his locis, de quibus verba facimus, dissentire, iam videamus, quae verba a Clasonio „anklingende“ nominata sint. Multa cum exempla apud C. Peterum l. c. inveniuntur, haec tantum in medium proferamus:

Liv. pedestre scutum capit, Hispano  
cingitur gladio  
linguam etiam ab inrisu exserentem

cum scuto scutum imum perculisset  
nguina hausit

Claud. scuto pedestri et gladio His-  
panico cinctus.

Gallus inridere coepit atque linguam  
exertare

scuto scutum percussit  
pectus hausit.

C. Peter igitur suo iure contendit Livium Claudio usum esse et illo loco — VI, 42 — „Claudium“ non „Cincium“ legendum est.

Jam in narratione Livii contemplanda pergamus. VI, 42, 8 scriptum videmus: „(Galli) palati Apuliam maxime petentes cum fuga longinqua, tum quod passim eos simul pavor terro-  
que distulerant, ab hoste tutati sunt.“ Quibus verbis cum fragmento Claudii — 11 — collatis, apparet hunc annalium scriptorem a Livio in usum adhibitum esse, sed ex parte tantum, cum a Claudio traditum sit Gallos et in Apuliam et in Campaniam pervenisse. Altera huius narratio-  
nis pars apud Livium VII, 11, 1 invenitur, quo loco Gallos iter in Campaniam fecisse traditur. Cur hic ea, quae Claudius tradidit, apud Livium seiuncta videamus, ex eo apparet, quod eius



auctor his annis — 361 et 360 — duas incursiones memoriae tradit; quo minus longe Galli aberant, eo celerius insequenti anno in fines Romanorum redire potuerunt.

Liv. VII, 10, 15 peccatum in temporum ratione admissum invenimus, cum hic traditum sit, iam tum Romanos gladiis Hispanis usos esse, quos secundo demum bello Punico ab iis adhibitos esse, inter omnes constat — Liv. XXXI, 34, 4 et Suidas v. *μάχαιρα*. Cuius erroris auctor Claudius fuisse videtur.

#### De incursionibus annorum 360 et 358.

Bello anno 360 a Romanis Tiburtibus indicto adversus eos C. Poetelius Balbus consul missus est, cum collegae eius M. Fabio Ambusto Hernici provincia evenissent. Tiburtibus Galli auxilio venientes Labicanum Tusculanumque et Albanum agrum depopulati sunt. Qui a Servilio dictatore haud procul a porta Collina fugati sunt. Iidem disiecti ac fuga Tibur petentes excepti et iterum devicti sunt.

Multis de causis haec narratio incredibilis videatur necesse est. Opes Romanorum tum non tantae erant, ut consules atque eorum exercitus non revocandi essent, cum Galli, illi atrocissimi hostes, iam urbi appropinquavissent. Praeterea cum eadem fere bella posterioribus temporibus gesta inveniamus, suspicandum est haec bella in tempora, de quibus agimus, translata esse. Etiam a. 82 hostes ex Campania veniunt, ut urbi oppugnatae subsidia ferant; quae cum spes eos falleret, adversus Romanos profecti ante portam Collinam ut tum Galli profligantur. Atque illud quoque hostes fugatos ab altero duce Romano exceptos atque iterum devictos esse accessit mihi videtur ex iisdem temporibus, quibus annalium scriptores Claudius, Valerius, Licinius vixerunt. Pompeius enim fugientibus servis iterum devictis gloriatus est suo demum opere bellum confectum sublatumque esse.

Cum iam perspicimus omnia ex posterioribus temporibus sumpta esse, contendere non dubitamus, hanc incursionem fictam neque quidquam aliud quam iterationem prioris incursionis esse. Ac comprobari quidem potest, cur haec incursio iterata sit. Claudius, ut supra demonstravimus, a. 367 pugnam ad Anienem flumen commissam, a. 361 vastationem agrorum Albanorum adscripsit. Quibus incursionibus commutatis, posteriores scriptores incursionem, quam Claudius a. 361 memoriae tradit, hoc loco omittere noluerunt atque insequenti anno 360 assignaverunt, quoniam commutatione effecta a. 361 iam ad Anienem decertatum est. — Quomodo hae tres incursiones exortae sint, etiam ex eo cognosci potest, quod T. Quinctius omnibus incursionibus dux Romanorum interfuit. Anno 361, quo re vera incursio facta est, is verisimiliter dictator traditus erat, cum postea incursiones annorum 367 et 360 fingerentur, ex dictatore magister equitum exstitit.

Crederes hoc loco de incursionibus Gallorum iam satis nimiumque traditum esse, at Livius una iteratione non contentus anno 358 novam incursionem affert. Hoc loco Licinium secutus esse mihi videtur. Quem scriptorem alio anno ac ceteros incursionem attulisse ex VII, 9, 4 apparet. Quo loco Livius commemorat dictatorem Licinio auctore non belli cum Gallis gerendi, sed comitiorum habendorum causa dictum esse; quam narrationem Livius repudiat. Cum Licinius hoc anno incursionem non prodat, verisimile est Licinium eandem alii anno adscripsisse, anno 358, ut mihi videtur, quod tota descriptione huius incursionis scriptor comprobatur, quem animo amico ergo plebem fuisse necesse est. Multis locis commemoratur, quanto commodo



crebra bella patribus fuerint et eos consulto bella duxisse. Etiam ad hanc incursionem depingendam res gestae posteriorum temporum adhibita esse ex verbis ipsis Livii perspicui potest, qui narrat — VII, 14, 6 —: („Dictator) rem novam excogitat, qua deinde multi nostri atque externi imperatores, nostra quoque aetate, usi sunt.“ Et profecto a Frontino — Strat. II, 4, 6 — traditur Marium quoque eadem arte bellica usum esse.

Quibus de causis hac quoque incursione remota, perspicuum est nullam incursionem nisi anni 361 a veteribus auctoribus traditam esse.

#### De incursionibus annorum 350 et 349.

Livius — VII, 23—26 — ad annum 350 annotat ingentem Gallorum exercitum in agro Latino castra posuisse atque Romanos contra eos profectos esse. Cum iam mirum sit, quod nusquam commemoratur Latinos ipsos fines suos defendisse, tum eo maiore admiratione afficimur, quod Latini se tam ingratos ostendunt, ut Romanis, quorum agri insequenti anno vastantur, auxilio venire nolint.

Quae res Livio et eius auctoribus adeo non miranda videtur, ut eam prorsus omittant. Quamobrem perspicuum est hos scriptores non animadvertisse quae narraverint. Cum autem ea, quae de animis ingratis atque infestis Latinorum traduntur, eiciamus, haec tantum constare nobis videntur, hoc anno Romanos cum Gallis bellum gessisse, cui Latini interfuerint. Quos tum socios populi Romani fuisse non modo Livius, sed etiam Polybius — II, 18 — tradit. Nec vero est neglegendum Gallos in agros Latinos pervenire non potuisse, nisi antea per agros Romanos iter fecerant. Quare contendendum mihi videtur Romanos tum non propter foedus, quod iis cum Latinis erat, sed pro patria dimicasse, quo bello a Latinis adiuti sunt.

Id quod, cum populo Romano non dignum videretur, posteriores scriptores infitiati sunt. Non est, cur hac obtreptione Romanorum admiratione afficiamur, cum idem etiam de multis aliis populis tradatur. Sententia enim Ihnii R. G. I. 232 ann. nobis recta videtur: „Wenn wir nur populäre englische Erzählungen von der Schlacht von Waterloo hätten, so würde blutwenig von einem wesentlichen Anteile der Preussen an jenem Siege in die Kunde der Nachwelt übergehn. Ebenso kennen auch die bei den Franzosen beliebtesten Kriegsschriftsteller nur ihre Bundesgenossen, wenn sie ihnen die Schuld an einer Niederlage in die Schuhe schieben wollen.“

Eis, quae Livius narrat, iam satis examinatis, iam quaerendum est, quae Polybius de hac incursione tradat.

Qui auctor — II, 18 — profert anno duodecimo post agros Albanos vastatos Gallos iterum contra Romam profectos quam celerrime fuga salutem petivisse, cum Romani una cum sociis iis obviam irent. Num et apud Livium et apud Polybium idem intervallum inter has duas incursiones intersit, in narratione Polybii contemplanda inquiremus.

Livium et Polybium de foedere Latino plane consentire mihi non omittendum videtur. Apud Liv. VII, 12, 7 renovatio foederis commemoratur, apud Polybium — II, 18, 5 — haec verba inveniuntur: Ῥωμαῖοι τὰ κατὰ τοὺς Λατίνους αἰθις πράγματα συνεστήσαντο. Tum foedus Sp. Cassii a. 493 renovatum esse inter omnes constat.

Anno insequenti 349 etiam hanc incursionem iterari nobis iterationes priorum annorum contemplantibus iam non mirum videtur. Etiam hoc repetitur ducem ex gente Furia



— L. Furium Camillum — exercitui praefuisse. Praeter certamen singulare Valerii nihil accuratius de hac incursione a Livio afferri potest, ut manifestum sit hanc incursionem non fictam esse nisi, ut cognomen Corvi declaretur. Quamobrem haec quoque incursio ex historia eicienda est et Niebuhrio — R. G. III, 92 — assentiri non possumus, cuius ex sententia hic L. Furius Camillus ab Aristotele — apud Plut. Cam. 22 — commemoratur, cum ille auctor de L. Camillo, qui Capitolium a Gallis servavit, agat.

Cum nobis iam persuasum sit omnia, quae Livio auctore anno 349 acta sunt, ficta esse, et Polybius praeterea tradat Romanos tum tanto exercitu comparato Gallis obviam ivisse, ut hi primo concursu quam celerrime aufugerent, Matzatio assentiri non possumus, qui — Röm. Chron. I. p. 100 — contendit Gallos tum duos annos in Romanorum finibus versatos esse. Haud dubie Galli tum non nisi anno 350 incursionem fecerunt.

#### Quae Romani cum Gallis a. 332 egerint.

Livius VIII, 17, 6 tradit a Romanis, cum audivissent Gallos contra Romam proficisci, speculatores missos esse. Qui cum redeuntes nuntiavissent Gallos finibus suis contineri, Romani milites dimiserunt. Polybius tradit — II, 18 — hoc anno a Romanis pacem cum Gallis compositam esse. Cur Livius non hic, sed anno 329 demum de pace conciliata referat, infra demonstrabimus; ceterum cf. Matzat, Röm. Chron. p. 100.

#### De incursionibus annorum 299 et 295.

Liv. X, 10, 6 ss. Anno 299 Galli incursionem in fines Etruscorum fecerunt, qui magna pecunia eos commovere conati sunt, ut Romanos adorirentur. Pecunia autem Gallis soluta, hi infitiati sunt se pecuniam accepisse, ut una cum Etruscis Romanos aggredirentur, ac laeti pecunia expensa domum redierunt.

a. 299.

Polybius II, 19 similia affert: Novae turbae Gallorum transalpinorum Alpes transgressae a Gallis cisalpinis commotae sunt, ne in gentes consanguineas, sed in Romanos invaderent. Galli una cum multis Etruscis agros Romanos vastaverunt et praeda ingenti parta domum redierunt. Quae praeda iis nulli commodo erat, cum in praeda dividenda certamen exoreretur, quo multi eorum caesi sunt.

Quam narrationem Polybii ab Livii haud ita abhorrere manifestum est. Auctores Livii agros Romanos a Gallis vastatos esse iterum omisisse nobis iam non mirum videtur.

Ad annum 295 haec apud Livium — X, 25 ss. — scripta videmus: Quattuor populi, Etrusci, Galli, Umbri, Samnites, Romanis bellum intulerunt. Cui bello cum duae legiones Appii Claudii praetoris sufficere non viderentur, Fabio consuli Etruria extra sortem decreta est. Qui se iactans maiori sibi curae esse, ut omnes locupletes reducat quam ut multis militibus rem gerat, non amplius quam quattuor milia peditum ac sescentos equites conscribit. Cui cum castris Claudii praetoris appropinquanti lignatores cum praesidio occurrant, eos statim in castra redire ac vallum vellere iubet. Appius Claudius duabus legionibus traditis Romam dimittitur. Consul autem tam insolenter gloriatus nihil proficit et cum sibi bellum maius in conspectu videatur quam crediderat, hieme nondum exacta Romam redit, unde maiorem exercitum arcessat. Legio secunda a Fabio ad Clusium relinquatur et castris L. Scipio pro praetore praeponitur. Antequam autem Fabius et Decius consules novis copiis in Etruriam perveniunt,

a. 295.



Galli Senones legionem Romanam ac castra oppugnaturi appropinquant. Scipio, qui castris praecerat, aciem in collem erigere voluit; cum autem ad iugum pergeret, a Gallis, qui collem praecoccupaverant, legio circumventa ac caesa est, ita ut nuntius non superesset.

Quae narratio multis de causis a fide abhorreere videtur. Livius — X, 26, 5 — in summas angustias adductus erat, cum de hoc bello tot discrepantes narrationes allatas inveniret, quot nullo alio loco.

Nobis has narrationes contemplantibus apparet, omnia tendere ad haec, ut et gloria Fabii consulis in maius efferatur et clades Romanorum quam minima appareat aut prorsus negetur. Utraque spes illos annalium scriptores fefellit. Fabium enim tam insolenter gloriatum nihil profecisse iam supra perspeximus. Nec vero clades Romanorum negari potest, quamquam unus ex illis scriptoribus non dubitavit illam usitatam fabulam proferre, qua hostes victores redintegrato proelio vincuntur ac praeda privantur. Alii auctores Livii tradiderunt unam legionem occisam esse. Id quod iis non ex sententia processit. Tres enim legiones haud dubie tum in Etruria erant, duae Appii Claudii praetoris, tertia Fabii consulis. Cum illa una legio a Gallis circumventa caederetur, cur Scipio ei non e castris subsidia tulit? Legionem haud procul a castris collocatam esse ex eo apparet, quod Scipio ipse et castris et legioni praefuisse videtur. Sed ut Scipio impediretur, quominus legioni circumventae e castris reliquas legiones auxilio mitteret, — quamquam quomodo hoc factum sit perspicui non potest —, ubi postea hae legiones commemorantur? Ne vestigium quidem ullum earum reliquam est.

Omnibus, quae nobis in narratione Livii ficta visa sunt, eiectis nihil aliud superest nisi Romanos apud Clusium magnam cladem accepisse.

Si nunc Polybium inspicimus, iam intellegi potest apud utrumque scriptorem idem inveniri, quoniam Polybius tradit quattuor annis post incursionem anni 299 Romanis cladem apud Clusium allatam esse, — II, 19: ἐν τῇ Καλαυρίῳ χόρῳ. Qua ex collatione etiam apparet Niebuhrium — III, 441 — erravisse iudicantem Livium Camerinum cum Clusio commutasse. Livius enim aperte dicit: „Clusium olim Camars nominabatur.“ Praeterea incredibile est Romanos tum castra apud Camerinum posuisse, cum quinque milia passuum a Camerino occidentem versus via sit, qua itur ex finibus Senonum Romam; quo itinere a Gallis occupato Romani facile reditu prohiberi potuerant.

#### Pugna apud Sentinum committitur a. 295.

Hoc quoque loco a Livio duo fontes coniuncti esse videntur. Quamquam enim X, 25 et 26 narratum est secundam legionem a Gallis caesam esse, ut ne nuntius quidem cladis superesset, nihilo minus hic — c. 27 — legionem secundam et quartam Volumnio duce in Samnio bellantes videmus. Eadem legio fuerit necesse est, cum res gestae eiusdem anni tractentur neque commemoretur post illam cladem novam legionem conscriptam esse. Tum initio Umbros exercitui hostium interfuisse Livius narrat, in pugna autem depingenda — alio verisimiliter fonte adhibito — Umbri omnino non nominantur, quamquam omnes reliquae gentes enumerantur.

Quod ad pugnam ipsam attinet, perspicuum est a posterioribus annalium scriptoribus demum narrationi insertum esse P. Decium, capite pro salute patriae devoto, pugnam restituisse. Dextro enim cornu certa victoria Fabio duce parta, sinistro cornu aliquamdiu aequo Marte pugnatum est. Quamquam legiones nusquam pedem rettulerunt, tamen equitibus a Gallis fu-



gatis victoria dubia erat. Subsidiariis autem a Fabio huic cornu auxilio missis pugna restituta ac victoria reportata est. Posteriores autem auctores, ut insererent, quomodo Decius mortem pro patria subisset, tradiderunt iam totum cornu sinistrum fuga salutem petisse, cum devotione Decii proelio redintegrato victoria egregia parta sit.

#### De bellis post pugnam ad Sentinum commissam gestis.

De his bellis Mommsen: Forsch. II. 365 ss. disseruit et omnes quaestiones abunde tractavit. Niesio — Herm. XIII, 407 s. — repugnans iudicavit narrationem Livii a Polybii haud ita abhorrere et demonstravit, quomodo et quamobrem a posterioribus annalium scriptoribus narratio permutata sit. Idem inveniri prioribus temporibus, ut demonstramus, nos operam dedimus.

Jam omnia, quae Livius de incursionibus Gallorum tradidit, a nobis exposita sunt atque haec de scriptis eius contendenda nobis videntur:

1. Lewis über d. Glaubw. d. r. G. non recte iudicat, dicens: „Vergleicht man die Angaben des Polybius mit denen der anderen Historiker, so ist es schwer zwischen ihnen irgend welche Übereinstimmung zu entdecken.“ Nec minus Niese errat, cum dicat: „Livius ist nicht nur von der ältesten Überlieferung, sondern auch von der nächsten Stufe der Entwicklung durch eine Kluft getrennt, über die keine Brücke führt.“ Nos narratione Livii inquisita intelleximus eum plane cum Polybio consentire, si omnia quae posteriores annalium scriptores finxerunt, reicimus.

2. Livius non ex uno fonte semper hausit, ut Niesio l. c. visum est, sed plerumque ex compluribus; neque ita ut alternis usus sit, sed ut complurium habuerit coniunctim rationem.

3. Nominatim ab eo Claudius et Licinius appellantur, quos haud dubie ipsos inspexit. Licinius a Livio — VII, 9, 4 — nominatur, sed quae tradit refutantur. Ex eodem autem scriptore incursionem a. 358 sumptam esse demonstrasse nobis videmur.

Argumenta, quibus comprobatur Claudium a Livio in usum adhibitum esse, haec sunt:

- a) Incursiones annorum 367 et 361 narrans Livius Claudium non modo nominavit, sed etiam exscripsit; id quod ex fragmentis eius apparet.
- b) Fragmenta Claudii, quibus narratur, quomodo Cominius Capitolium ascenderit, ad verbum fere apud Livium reperiuntur.
- c) Post incursiones a. 367 et 361 Livius aequae ac Claudius tradit Gallos in Campaniam et Apuliam discessisse.
- d) Uterque scriptor narrat Romanos iam anno 361 gladio Hispano usos esse, quem bello Punico secundo demum ab iis adhibitum esse inter omnes constat.

4. Quomodo narrationes posteriorum annalium scriptorum exortae sint, persaepe inquisivimus et haec cognovimus: Ut cognomina Torquati ac Corvi declarentur, non modo illa certamina singularia, verum etiam incursiones annorum 367 — quae incursio primum apud Claudium invenitur, quoad perspicere possumus — et 349 fictae sunt. Multae incursiones iterantur, ut incursio anni 361 annis 360 et 358, incursio anni 350 anno 349. Multae res gestae ex aliis temporibus, etiam ex ultimo saeculo a. Chr. in haec tempora transferuntur, ut pugna ante portam Collinam commissa, victoria, quam Pompeius a servis reportavit, ars bellica, qua Marius hostes decepit. Clades Romanorum parvae narrantur vel prorsus negantur, ut annorum 390 et 350.



## Caput III.

## De Diodoro.

Diodorus antiquo fonte non usus est, qui tantam vim habet, quantam fons Polybii. Ea quae memoriae prodit, etiam ab aliis allata sunt ut a Livio, Dionysio, Appiano, Plutarcho. Tamen Polybio proximus videtur esse; itaque retractatae sunt res minime, quas describit.

Ac primum quidem videamus, apud quos scriptores a Diodoro narrata reperiamus. Plurima in fonte, qui Livio et Dioni communis est, reperiuntur; tum multa apud Dionysium et apud eum, qui Dionysium exscripsit, Appianum, quod infra demonstrabimus.

I. Fons, qui Livio et Dioni communis est, cum Diodoro consentiens narrat haec:

1. Galli iam diu in Italia superiore morati Apenninum transierunt (Liv. Diod. Polyb.).  
2. Galli, cum in Italiam superiorem venissent, multis locis Etruscos habitantes invenerunt, qui ab Etruriae duodecim urbibus missi erant (Diod. Liv.).

3. Senones erat ea gens, quae Clusium atque inde Romam profecta est (Diod. Liv.).

4. Cominius in Capitolium dimittitur, non ut Camillus dictator dicatur, sed ut obsidione vexatis spem auxilii iniciat. (Diod. et Dio Cass.).

5. Camillus hac incursione omnino non dictator dictus est. Apud Dionem Camillus, quamquam „*αρχαίος*“ nominatur, imperat. Apud Diodorum Camillus omnino non affertur. Hic optime potest cognosci, quomodo annalium scriptores posteriores memoriae prodita identidem denuo transformaverint. Primum Camillus non affertur — Polybius, Diodorus [Camillus quamquam apud Diodorum quoque dictator dicitur, tamen multo post contra Volscos, non contra Gallos]. Deinde Camillus exul (Dio) imperat. Postremo iam dictator Gallos, antequam pretium redimendi acceperunt, vincit (Livi et Plutarchus).

6. Ille fons, qui Livio et Dioni communis est, pugnam ad Alliam commissam eodem modo quo Diodorus describit.

7. Pro pretio redimendi parato matronis honos decretus est, ut pilito ad sacra ludosque uterentur. Diod. et Livius [hic eandem mentionem in Dionis fonte inveniens cum ea, quam Plutarchus de dono votivo affert, confundit].

8. Post secundam incursionem Galli et apud Diodorum — NIV, 117 — et apud Livium Italiam in meridiem spectantem, id est Campaniam et Apuliam petunt.

9. Diodorus Gallos a Camillo, qui contra Volscos dictator dictus est, in Etruria capessi atque pretio redimendi privari facit. Quod Livius hoc loco non affert, sed in incursione anni 358 — Liv. VII, 15, 18.

II. Quae Diodorus et Dionysius et Appianus, qui hunc exscripsit, eodem modo narrant, haec sunt:

1. Duo, non tres legati a Romanis Clusium mittuntur, qui non cum Gallis, sed cum Clusinis agunt.

2. Senatus Gallis ad facinus legatorum expiandum pecuniam offert. Quod idem nuntiant Diodorus et Appianus, qui hic haud dubie Dionysium exscripsit, ut infra demonstrabimus.

3. Cominius dimittitur, ut obsidione clausis subsidium proponat (Diod. Dionys.). Hoc iam in Dione repperimus, quare fontes Dionis et Dionysii sibi non alienos esse cognoscimus.

4. Antequam Senones, qui Clusium obsident, Romam proficiscuntur, alii Galli cum iis se coniungunt (Diod. et App.).



Quomodo ea, quae vetustiores annalium scriptores narraverunt, a posterioribus in dies magis transformata sint, etiam hoc exemplo demonstrari potest. Ut ex Polybio comperimus, Galli ab obsidione Capitolii destiterunt, cum Venetos in fines suos irrupisse audirent. Itaque Galli, qui Romam obsidione claudebant, sedibus non desertis, nisi latrocinatum in fines Clusinarum et Romanorum incursionem non fecerunt. Romani autem cum postea indignissimum videretur, quod urbs latrocinio deleta diceretur, finxerunt haec duo: 1. Gallos esse profectos, ut novas sedes peterent. 2. Fabios iure gentium laeso deorum iram excitasse, quae totam urbem affligeret, cum civitas eos tradere recusaret. Ea, quae Polybius tradit Gallos nulla alia de causa nisi latrocinantes profectos esse, etiam apud Diodorum reperimus; is enim dicit Gallos pretio redimendi contentos domum esse profectos. Praeterea narrationem posteriorum, Gallos novas sedes quaesivisse — quamquam illi traditioni contraria erat — historiae suae iam Diodorus inseruit.

Sed nunc accuratius de pugna Alliensi nobis disserendum est.

#### Quomodo Diodorus pugnam Alliensem narraverit.

Mommsen. Forsch. II. 310 ss. iudicat pugnam Alliensem Diodoro auctore in dextra ripa Tiberis commissam esse. Cuius argumenta a Thoureto l. c. refutata esse mihi videntur, ita ut pauca restent, quae mihi illustranda sint. Id quod eo minus neglegendum est, quod multi viri doctissimi, ut C. Peter — z. Kr. 122 — alii Mommseni sententiam secuti sunt.

Mommsen putat Romanos aciem in dextra ripa ad orientem versus ita instruxisse, ut dextrum cornu flumen attingeret. Sinistrum cornu a Gallis, qui multitudine Romanis multo praestiterunt, circumventum et in dextrum cornu inmissum est, ut tota acies Romana a Gallis a latere succedentibus quasi convolveretur et in flumen deiceretur. „Der Rückzug nach Rom,“ pergit Mommsen, „war den Römern damit abgeschnitten, ein grosser Teil ging bei dem Versuch, den Strom zu überschreiten, zu Grunde, und nur wenige gelangten auf das linke Ufer und somit nach Rom. Die grosse Masse der Geretteten zog sich auf dem rechten Ufer seitwärts nach dem nahen Veii.“ Hoc dictum ad verbum exscripti, quod Mommsen, si in sinistra ripa eodem modo pugnatum est, idem concedere non vult, cum p. 311 dicat: „Was soll man dazu sagen, dass bei einer am linken Ufer geschlagenen Schlacht die geschlagenen Römer es nicht einmal versuchen, Rom zu erreichen, sondern lieber den Fluss passieren wollen.“ Mommsen autem ipse supra comprobavit Romanos, ne Romam redirent, impeditos esse, cum tota acies in flumen iniecta esset. — Tum quomodo ex sententia Mommseni fieri potuerit, ut Romani ex pugna ad septentriones versus Veios se conferrent, intellegere non possum, cum acies Romana, ut Mommsen concedit, circumventa esset. Sed ut intervallum inter Gallos et flumen fuisset, Romani non Veios sed Romam haud dubie aufugissent.

Deinde Mommsen: „Die wenigen Römer, welche bei einer Schlacht auf dem linken Ufer durch den Fluss schwammen und sich dann nicht nach Veii, sondern nach Rom retteten, mussten den Fluss zweimal passieren.“ Quod factum nihil miri habet. Primum flumen transire Romani a Gallis coacti sunt, iterum flumen ponte transierunt, quo Ianiculum cum urbe coniunctum erat.

Verba Diodori: „*διαβάντες τὸν Τίβεριον*“ Mommsen ita interpretatus est, ut Romani ad septentriones versus flumen traicerent. Sed falso. Romani, cum audivissent, Gallos contra Romam proficisci, sine ullo dubio iis ad septentriones versus via, qua in Etruriam itur, obviam ierunt, flumen ponte, qui interest inter urbem et Ianiculum, transierunt. Ita verba Diodori



„Ρωμαῖοι ἐξελθόντες πανδημί,“ interpretamur. Cum infra apud Diodorum dicatur „διαβάντες τὸν Τίβεριν,“ haec verba sic intellegenda sunt, ut Romani comperientes Gallos flumen transisse etiam ipsi in sinistram ripam transgressi sint. Quod autem Galli studuerunt, quam celerrime Tiberim traicere, quis est, cui hoc mirum sit, cum Roma, quam urbem aggressuri erant, in sinistra ripa sita sit?

Negari non potest, hanc transitionem Gallorum silentio praeterire inaccuratae narrationis esse. Sed quis est, qui contendat Diodorum esse accuratum scriptorem? Nonne res gestas complurium annorum in unum contulit? cf. Volquardsen, die Quellen Diodors p. 35 ss. et Mommsen, Forsch. II. 299 et 305 ann.

Diodorus praeterea narrationem fontis in brevius contraxit et res magni momenti omisit, ad quam rem animum meum vir doctissimus Rühl advertit. Ut exemplo utar: XIV, 113 Diodorus narrat Senones Clusinos obsessos tenuisse et pergit: Καθ' ὃν δὴ χρόνον ὁ δῆμος ὁ τῶν Ρωμαίων πρέσβεις ἀπέστειλεν εἰς Τυρόχηριαν. Quamobrem Romani tum legatos Clusium miserint, quaerendum est. Manifestum est Diodorum legationem Clusinorum — quae a fonte eius commemorata erat — omisisse. Nec minus ab eo neglectum esse videtur legatos cum Gallis collocutos esse; quonam modo Galli Romanos in pugna cognoscere potuerunt?

Postremo videamus, quo fonte Diodorus usus sit. Eum non Fabium in usum adhibuisse — id quod Niebuhr, Schwegler, Mommsen, alii putant — H. Peter, zur Kritik p. 110 ss. luculenter demonstravit. Neque fragmenta Fabii apud Diodorum reperiuntur, neque ea, quae Diodorus ex historia Romana profert, eiusmodi sunt, ut ex annalibus Fabii hausta esse videantur. Contra discrepantiae inveniuntur, ut haec: Roma apud Fabium Ol. VIII, 1, apud Diodorum Ol. VIII, 2 deleta est. Neque hoc argumentum Thoureti p. 143 neglegendum mihi videtur, et Diodorum et Livium tegulas publicas commemorare, quae tegulae temporibus imperatorum demum exstiterunt.

Etiam si Diodorus non ex fonte hausit, qui eadem vetustate est, qua Polybii — hic scriptor contra longe vetustissimum fontem adhibuit —, tamen fons eius maioris vetustatis esse videtur quam fontes omnium aliorum scriptorum. Narrationes eius minime pertractatae ac transformatae sunt. Inter omnes autem scriptores — Polybio non excepto — continuatio perpetua omnium rerum gestarum comprobari potest. Omnes fere narrationes Polybii ipsius apud alios scriptores reperimus. Eadem sententia etiam H. Peter est, cum dicat z. Kr. 82: „die römische Tradition hatte einen gewissen Bestand, der von den Annalisten selbst in der Form übereinstimmend fortgepflanzt wurde“.

#### Caput IV.

#### De Polybio.

Argumenta, quibus comprobatur Polybium ex Fabio hausisse apud Niesium, Herm. XIII, 410 inveniuntur. Polybius, ut omnes annalium scriptores, quattuor annos anarchiae ratione ducit, non quattuor annos dictatorum. Cum aliis locis nisi Fabium nullum annalium scriptorem a Polybio adhibitum videamus, verisimillimum est eum etiam incursiones Gallorum narrantem ex iisdem annalibus hausisse. Quae sententia eo probabilior est, quod Polybius copias Romanorum enumerans Fabio usus est — II, 24 —, id quod ex Eutropio — III, 5 — et Orosio — IV, 13 — apparet. Niesii sententiam Mommsen et Nitzsch — R. A. 271 s. — et nuper Holzapfel, röm. Chron. secuti sunt.



**De chronologia, qua Polybius in narrandis Gallorum incursionibus usus sit.**

In Polybii chronologia haec praecipue quaestiones sunt considerandae: 1. Utrum anni intercalares, quinque anni interregni et quattuor anni dictatorum, a Polybio adhibiti sint an non? 2. Quomodo interpretandum sit, quod Polybius dicat: „Tricesimo anno post“? Annus, a quo incipit et quem supremum affert, computatur? Propterea, quomodo haec quaestiones se habeant, accuratius inquirendum videtur.

Mommseno auctore — Röm. Chron., 2, p. 111 ss. et Forsch., II, p. 380 ss. — Romani iam viderunt annos, qui in fastis vetustiorum temporum putarentur, ita ab annis solstitialibus differre, ut temporibus progredientibus anni pauciores computarentur quam re vera praeterissent. Quamobrem interpositi sunt anni intercalares hi: Quinque anni interregni — 379—383 a. u. (= 375—371 a. Chr.) — et quattuor anni dictatorum — 421. 430. 445. 453 a. u. (= 333. 324. 309. 301 a. Chr.) — interserti sunt. Hi anni intercalares omnes in fastos recepti sunt, nonnulli in chronologiam annalium scriptorum. Interregnum unius anni, cum in annalibus antiquissimorum scriptorum iam exstaret, re fuisse verisimile est; factionum certamina enim tantum intervallum effecisse possunt. Scriptores posteriorum temporum quattuor reliquos annos interregni ex fastis receperunt, non dictatorum quattuor annos.

Quaestio altera diverse a Niesio, Mommseno, Strehlio acta est. Niesius obtinet modo supremum annum — Herm. XIV, 401 —; Mommsenus etiam annum, a quo incipitur, computandum esse — Forsch. II, 357 —. Niesii sententiam nuper Holzapfel, Römische Chronologie p. 206 secutus est, qui contendit: Bei Ordinalzahlen ist der terminus a quo ausgeschlossen. Strehl — Chronologische Daten des Polybius p. 7 ss. — opiniones illorum refutat, quod eo loco, quo Polybii rationem examinare possumus, accurate cognoscitur eum neque ut Mommsenum neque ut Nesium numerasse. Priusquam ad Strehlii argumenta accedimus, de Polybii chronologia haec sunt commemoranda: Cum annus Polybii — Nissen r. rh. Mus. XXVI, 245 ss. et Mommsen, Forsch. 353 — oriatur ab aequinoctio autumnii, in duos annos olympiadum ratione numeratos distribuitur ita, ut novem menses prioris et tres menses posterioris compleat. Annus enim olympiadum fere a Kalendis Juliis exorditur. Propterea Polybius suum annum in locum prioris olympiadum anni substituit.

Nunc ad argumenta Strehlii. Polybius, cum incendium Gallicum eodem anno quo pacem Antalcidae, 387 a. Chr., statuat, tribus annis differt a Varronis ratione, qui incendium 364 a. u. fuisse affirmat. Quem annum — 387 a. Chr. — spectans, pugnam apud Aegospotamos undevicesimo anno ante, pugnam apud Leuctra sexto decimo post commissam esse Polybius contendit. (I, 6, 1 et 2). Affero tabulas Peteri, Zeittafeln z. Jahr 405:

|   | a. Chr. | Olymp. | a. u. |                           |
|---|---------|--------|-------|---------------------------|
| Pugnae apud Aegospotamos ultimus terminus est mensis Augustus . | 405     | 93,3   | 346   | } undevicesimo anno ante. |
| Pugna Alliensis a. d. XV. Kal. Aug.                             | 387     | 98,1   | 364   |                           |
| Pugna Leuctrensis initio mensis Julii                           | 371     | 102,1  | 380   | } sexto decimo anno post. |

— Anni olympiadum hic ratione Polybii numerati sunt. —

„Wir sehen also an diesem Beispiel,“ pergit Strehl, „dass Polybius in dem zweiten Falle, da zwischen 387 und 371 16 Jahre liegen, in der Weise Nieses, aber im ersten Falle



in der Weise Mommsens gerechnet haben müsste, denn zwischen 387 und 405 liegen nur 18 Jahre. Man sieht also — p. 9 —, dass die Rechnung des Polybius sich weder in das Schema Nieses noch dasjenige Mommsens einzwängen lässt. Wie mag das kommen? Einfach daher, weil zwischen August 405 und Juli 371 fast 34 Jahre liegen und nicht 33 oder 35, wie nach Mommsen oder Niese zu erwarten wäre. An einem Orte wurde das laufende Jahr voll gerechnet, am anderen garnicht.“ Cum igitur auctore Strehlio duo intervalla continua numeris ordinalibus statuuntur, annus interpositus semel modo computatur, scilicet in eo intervallo, quo maior pars huius anni inest.

Quod Strehlius sententias Niesii et Mommseni refellit, comprobo, nam Polybium aliter numerasse, exemplum, quod supra attulimus, dilucide demonstrat. Rationem autem, qua Strehlius utitur, comprobare non possum. — Rectum mihi videtur esse Polybium numero ordinali eum annua designasse, quo factum existerit. Id est, Polybius non orsus ab anno facti sed a facto ipso numeravit; quod etiam dictione apparet, neque enim dicit: *μετὰ τὸ τῆς μάχης ἔτος*, sed *μετὰ τὴν μάχην* (I, 6). Itaque cum: Sexto decimo anno post hoc factum est, dicit, nihil aliud est quam: Inter utrumque factum maius intervallum quam quindecim annorum, sed minus sedecim esse.

Quamquam Strehlius perspexit Polybium ab facto non ab anno incipientem numerasse videri, tamen hoc exemplo contrarium demonstrare conatur: „Von Anfang Juli 371 (Datum der Schlacht bei Leuctra) bis zur Einnahme Roms (387 18 Juli) sind mehr als 16 Jahre, also hätte hier das 17. bereits begonnen, da Polybius aber nur 16 Jahre angiebt, so ist es klar, dass er nicht von Datum zu Datum gerechnet hat.“ Quod si esset verum, Polybius non ita numeravisset ut ego puto. Sed non ita res se habet, Strehlius falso numeravit ab initio mensis Julii 371 usque ad a. d. XV Kal. Aug. 387 sedecim annos et duodeviginti dies praeterisse. Neglexisse mihi videtur annos quidem retro numerari, non menses eorum retro esse numerandos. Re ab initio Julii 371, si retro numeramus, initio mensis Julii 387 demum sedecim anni praeterierunt.

Itaque Polybius suo iure dixit pugnam Leuctrensem sexto decimo anno post commissam esse. Quo exemplo cum Strehlii sententia demonstrari non possit, Ungerii opinio — Hermes XIV, 84 — sine ulla dubitatione recta exstat, Polybium dicentem ἡ Πύρρον διάβασις transitum, non annum transitus significasse.

In alio quoque exemplo chronologiam meam rectam esse cognoscere possumus. Mommsen, p. 362, Strehl p. 27: Anno 237 incursio Gallorum erat; quinto anno post (232) agrorum repartitio Flamini consulis, octavo anno post (225) victoria Papi Reguli consulum de Boiis reportata. Quin agrorum divisio vere fuerit, dubitari non potest — Strehl l. c. —. Cum incursio Gallorum 237 vere vel paulo post fieret, inter 237 et 232 nondum quinque anni praeterierunt. Eisdem ob causas inter ver 232 et incursionem 225 plus quam septem anni intersunt. Propterea Polybius recte illic annum quintum, hic annum octavum attulit.

Hoc loco aequae ac Strehl computavi, aliis causis usus, postea Mommseni rationem sequar, nihil nisi hoc respiciens, quot anni re peracti sint.

Haec duo exempla, quod voluimus, demonstrant. Cetera quae Strehl ex mercennariorum bello et historia foederis Achaici attulit, non talia sunt, qualibus ratio Polybii perspicitur; de chronologia bellorum Celtarum infra dicemus.



Antea de Mommseni ratione agamus et perspiciamus, utrum satisfacere videatur necne.

Mommsenus p. 360 putat Polybium anarchiam non quinque annorum, sed unius anni (379) habuisse et quattuor annos dictatorum omnino non respexisse.

Itaque hanc tabulam ab urbe numerans statuit, in qua numeri primi ordinis annos fastorum magistratum (Zeittafelrechnung), alterius annos chronologiae Polybianae significant:

|                                    |     |     |  |
|------------------------------------|-----|-----|--|
| Roma a Gallis expugnatur. . . . .  | 364 | 364 | } tricesimo anno post.                         |
| Galli iterum incursionem faciunt . | 397 | 393 |  |
| Incursio Gallorum . . . . .        | 408 | 404 | } duodecimo anno post.                         |
|                                    |     | 409 |  |
|                                    |     |     | } pax tredecim annorum.                        |
|                                    | 422 | 417 |  |
|                                    | 423 | 418 |  |
|                                    |     |     | } pax triginta annorum.                        |
|                                    | 455 | 447 |  |
|                                    | 456 | 448 | } incursio Gallorum in fines<br>Romanos facta. |
|                                    |     |     |  |
|                                    |     |     | } quarto anno post.                            |
| Pugna ad Sentinum commissa. . .    | 459 | 451 |  |

Primum apparet Mommsenum, ubi Polybius numerum ordinalem afferat, unum annum non computasse. Tum Mommsenus ea sententia est, Polybium anarchiam non quinque annorum, sed unius anni habuisse. Ergo necesse est, quod factum Polybius triginta annis post incendium Romae (393 a. u.) statuit, secundum fastos magistratum triginta quattuor annis post statui (397).

Sed cum Livius annalium scriptores secutus eodem modo quo fasti magistratum illos quattuor annos intercalaret, eum anno 397 a. u. unam ex multis incursionibus positurum fuisse putes. Immo vero anno 393 incursionem adscribit. Quam consensionem sententiam Mommseni, Polybium anarchiam unius anni habuisse, aliquo modo infirmare nemo non intellegit. Itaque ille initio hanc rem neglegere vult: „In diesem Abschnitt des Livius ist so viel verschoben und so viel erfunden, dass auf die Identifikation einzelner jener Celtenkriege der jüngeren Annalen mit dem polybischen Einfall nur wenig Gewicht zu legen ist.“ Momms. 362. Nihil interesse, utrum incursio et apud Livium et apud Polybium in Albanorum fines fiat necne, eadem qua Mommsenus sententia sum. Recte dicit: „Alba gehört einmal mit zur Schablone.“

Sed supra vidimus Claudium incursionem in fines Albanorum anno  $\frac{393 \text{ a. u.}}{361 \text{ a. Chr.}}$  positam invenisse. Id quod gravioris momenti habendum nec neglegendum est.

Consensionem tam dilucidam Mommsenus ipse, ut interpretaretur, studuit. Non modo Polybium, sed etiam annalium scriptores, quos Livius sequitur, Celtarum incursiones in summario eiusdem modi, cuius apud Polybium videmus, compositas invenisse conicit. Quo in summario anarchiam quattuor annorum nondum computatam fuisse. Postea cum annalium scriptores has incursiones in singulos annos distribuerent, non respexisse sibi rationem annalium, anarchia



quattuor annorum computata, esse. Itaque primam incursionem anno tricesimo post incendium — 393 — posuerunt, quamquam anno 397 ab u. c. ponenda erat.

Mommsenus ergo putat non modo Polybium tam breve summarium, sed etiam annalium scriptores posteriores in fontibus suis invenisse.

Priorem sententiam comprobare non possumus, cum summarium illud a Polybio ipso confectum esse nobis videatur.

Multo etiam incredibilius est annalium scriptores tam brevi summario usos esse, qui etiam Mommseno auctore non antiquissimos annales inspexerunt.

Itaque cum Mommseni interpretationem a vero abhorrere appareat, Fabium anarchiam unius anni habuisse putari non potest. Apud eum aequae atque apud annalium scriptores anarchia quinque annorum intercalata est.

Jam accedimus ad Strehlii rationes p. 27—34. 37—39.

a. u.                      a. Chr.

|  |     |     |  |
|--|-----|-----|--|
| Incurtio Gallorum in fines Romanorum facta . . . . . | 455 | 299 | } quarto anno ante<br>} pax decem annorum                                    |
| pugna ad Sentinum commissa                           |     | 295 |  |
|  |     | 285 |  |
| ad Arretium pugnatum est . . . . .                   |     | 284 |  |
| Boii a Dolabella fugati sunt . . . . .               |     | 283 |  |
| Boii iterum victi sunt . . . . .                     |     | 282 | } quadraginta quinque annis ante<br>} quinto anno ante<br>} octavo anno ante |
| Boii ante Ariminum . . . . .                         |     | 237 |  |
| lex Flaminia agraria lata . . . . .                  |     | 232 |  |
| pugna ad Telamonem commissa                          |     | 225 |  |

Polybius, ut Mommsenus p. 378 demonstravit, pugnam ad Telamonem commissam, — si rationem Varronianam sequimur, anno 225 a. Chr. — Olympiadi 138, 3 adscripsit. Qui cum ubique suum annum in locum eius anni Olympiadum substituatur, qui in illo finitur, pugna, quam supra commemoravimus, nostra quidem ratione Ol. 138, 4 commissa est. Sed quia Ol. 138, 4 idem annus est ac 225 a. Chr. Polybium hoc loco cum Varrone congruentem computasse potest cognosci. Itaque Strehl ab hoc facto retrorsum numeravit:

Octavo anno ante Flaminius agros assignat — 232. Quinto anno ante Galli in Romanorum fines ingruunt. Numeris ordinalibus a Polybio usurpatis et antea octavo anno omnino non computato, Strehl hic quintum annum plenum computans Gallorum incursionem anno 237 adscribit. Quadraginta quinque annis ante Boii devicti sunt, ergo a. 282 a. Chr. Id quod illo anno accidisse etiam Livius narrat. 283 Dolabella consul Boios ad Vadimonem lacum vincit; 284 proelia ad Arretium committuntur, quorum primum erat in obsidenda urbe. Quae per totum annum duravisse quin Strehl suo iure affirmaverit, non potest dubitari. Mommsenus eiusdem sententiae se fuisse, tabella sua p. 361 demonstravit. Quamobrem pax decem annorum ab anno 285 usque ad 295 statuenda est. Polybius cum hoc anno pugnam ad Sentinum commissam ponat, eodem modo quo nos computat. Eodemque modo quattuor annis ante — 299 a. Chr. — et Polybius et Livius X, 10 incursionem Gallorum statuunt. Quae consensio nihil miri habet, quod usque ad annum 300 a. Chr. anni consulum Romanorum cum annis praeteritis consentiunt — Niese, Hermes, XIII, 404 —.



Iam vero Strehl ab incendio Gallico orditur, quod Polybius eodem anno quo pacem Antalcidae — 387 a. Chr., non ut Varro 390 — ponit. Quod discrimen trium annorum iam in Roma condita potest cognosci; nam cum et apud Varronem et apud Polybium inter utrumque factum 364 anni intercedant, urbs auctore Varrone 753, Polybio 750 condita est. Tricesimo anno post incendium apud Polybium una incursio, duodecimo anno post altera exstat. Strehl horum numerorum ordinalium unum modo plenum computans, annos 360 et 349 statuit. Quibus annis insursiones fuisse Livius quoque memoriae prodit. Quod Polybius Varronem tribus annis praecit, hanc tabellam afferre possumus:

|                            | Varro   | Polybius |
|----------------------------|---------|----------|
|                            | a. Chr. |          |
| Roma concremata est.....   | 390     | 387      |
|                            | 360     | 357      |
|                            | 349     | 346      |
| incursio Gallorum .....    | 299     | 299      |
| pugna ad Sentinum commissa | 295     | 295      |

Inter a. 346 et a. 299, pergit Strehl, quietem tredecim annorum Polybius ponit et pacem triginta annorum, universum spatium quadraginta trium annorum; sed inter a. 299 et a. 346 intercedunt quadraginta septem anni. Quod facile, inquit Strehl, eo potest explicari, quod Polybius quattuor dictatorum annos (333, 324, 309, 301) omisit. Quibus computatis chronologia Polybii plana dilucidaque est.

Neque tamen ita est. Quid quod Polybius antea semper tribus annis praecedens anno 299 cum Varrone consentit? Ab anno 299 usque ad illam Gallorum incursionem, quam commemoravimus, Varro quinquaginta annos computat, Polybius quadraginta tres; itaque cum non quattuor, sed septem annos minus computet, non modo dictatorum quattuor anni, sed etiam tres alii omissi sunt.

Iam vero sequamur meam rationem. Hanc rationem sequentes, numeros ordinales Polybii ubique plenos vel uno minutos computare possumus. Duabus condicionibus accurate potest destinari, quomodo nobis computandum sit: 1. Si scimus, quibus mensibus duo continua facta evenerint. 2. Si illa facta, quae a Polybio commemorantur, ab aliis haud neglegendae auctoritatis scriptoribus certis annis adscripta sunt. — Hic Livius eadem facta profert, sed gravisne sit momenti hic fons, disserendum est. Quod quidem Mommsenus negat, nam eius in Polybio adhibita ratio cum Livio non consentit, et cum nonnullis locis consensus dilucidos neglegere non possit, demonstrare, ut antea vidimus, conatur illas incursiones apud Livium errore in rectum annum venisse. Strehl Livium pluris aestimat; huius enim chronologia in Polybio usurpata saepenumero cum Livii dictis consentit eumque quoad consentit comprobatur. Ergo non constat, quantum valeat Livius ad haec tempora diiudicanda; conferamus propterea quae a nobis diligenter in Livium inquirentibus fide digna intellecta sunt:



| Livius  | Intervalla<br>apud<br>Livium | Intervalla<br>apud<br>Polybium |
|---|------------------------------|--------------------------------|
| <u>390 a. Chr.</u> incendium Romae<br>364 a. u.                     | }                            | 29      29                     |
| <u>361 a. Chr.</u> incursio in fines Al-<br>393 a. u. banorum facta | }                            | 11      11                     |
| <u>350 a. Chr.</u> incursio tertia<br>404 a. u.                     | }                            | 18      13                     |
| <u>332 a. Chr.</u> pax cum Gallis con-<br>422 a. u. ciliata est     | }                            | 33      30                     |
| <u>299 a. Chr.</u> incursio in fines Ro-<br>455 a. u. manorum facta | }                            | 4      4                       |
| <u>295 a. Chr.</u> pugna ad Sentinum<br>459 a. u. commissa          | }                            |                                |

Cur ad annum 332 a. Chr. apud Livium adscribendum sit: „Pax cum Gallis conciliata est,“ neque „exploratores ad Gallos missi sunt,“ Matzat, Röm. Chron. p. 100 recte exposuisse mihi videtur, apud quem haec fere verba scripta videmus: Si cui auctorum aequae ac Polybio traditum erat pacem per triginta annos servatam esse — triginta, non triginta tres, quod illi tres anni dictatorum 324, 309, 300 non computati erant — facile fieri potuit, ut hic auctor, quod ab anno 299 retro numeravit, putaret, pacem anno 329 conciliatam esse, si ab hoc auctore in libro suo illi dictatorum anni iam computati erant. Sin autem anno 329 demum pax conciliata erat, fieri non potuit, ut etiam anno 332 pax conciliaretur, quae per triginta annos servata esset. Propterea scriptum legimus, hoc anno nihil factum esse, nisi quod speculatores missi sunt.

Iam quae intervalla inter haec facta apud Livium inveniuntur, cum apud Polybium commemoratis comparemus. Inter incendium et secundam incursionem apud Livium undecim triginta anni intercedunt. Polybius eodem modo videtur numerasse; narrat enim: Hanc incursionem anno tricesimo post incendium factam esse — II. 18 — Et re vera haec incursio facile posteriore anni tempore accidere potuit quam incursio anni 390 — a. d. XV Kal. Aug. Usque ad proximam incursionem Livius undecim annos computat, Polybius eadem ratione computare potuit; hic enim hanc tertiam incursionem duodecimo anno post alteram factam esse memoriae tradit. Itaque Polybius putavit hanc tertiam quoque incursionem posteriore anni tempore accidisse quam priorem. Quam ob rem hoc fecerit, eo quod enarrat optime demonstrat. Anno 350 enim Romani socios suos arcessere potuerunt, id quod a. 361 Gallis celerius accedentibus fieri non iam potuit.



Tum inter annos 350 et 299 apud Livium 51 anni, apud Polybium 43 intercedunt. Polybius enim quietem tredecim annorum et pacem triginta annorum commemorat. Cur Polybius octo annos minus computavit? Mommsen Forsch. II, 378 — octo annos esse detractos, cum Mommseno consentio — contendit Polybium iam cognovisse anarchiam quattuor annorum — anarchia quidem quinque annorum traditur, sed unus ex iis, ut Mommsen l. c. 380 demonstravit, re praeteriit — et quattuor annos dictatorum a chronographis solis in fastos esse illatos. Polybius igitur hos octo annos intercalatos putans omisit. Cum autem Polybius in illo intervallo quietem tredecim annorum et pacem triginta annorum habeat, quaerendum est, utrum quieti an paci hi octo anni adnumerandi sint? Utrique intervallo, si quidem Polybium cum Livio, qui a. 332 Romanos ad Gallos missos dicit, consentire volumus. Inter 350 et 332 intercedunt 18 anni; itaque 5 anni ad quietem tredecim annorum Polybii sunt adnumerandi. Inter 332 et 299 intercedunt 33 anni, ad hoc intervallum adnumerandi sunt 3 anni.

Num ex libidine illos octo annos in has duas partes divisimus? Minime. Nam ad intervallum inter 332 et 299 nostro iure tres annos adnumeravimus, cum hic a Polybio illi tres anni dictatorum — 324, 309, 301 a. Chr. — omissi sint. Ante 332 anarchia quidem quattuor annorum et annus dictatorum 333 exstant, sed non verisimile est Polybium etiam anarchiam quattuor annorum hoc loco detraxisse, cum haec annis 375—371 a. Chr. interserta sit. Propterea sententiam Matzati sequendum esse nobis videtur, qui putat — Röm. Chron. I, p. 89 — numerum Polybii „τριακαίδεκα“ corruptum esse. Nostra ratione chronologiae adhibita Polybium duas diversas rationes chronologiae adhibuisse reicienda est, quas rationes Matzat per iocum „doppelte Buchführung“ nominat. Mommseno enim auctore Polybius illam anarchiam quattuor annorum hoc loco omissam alio loco computavit. Inter incendium (390) enim et pugnam ad Telamonem commissam (225) intercedunt anni centum sexaginta quinque. Cum Polybius octo annos minus computet, eum intervallum centum quinquaginta septem annorum habere credas. Sed cum incendium 98,2, pugnam ad Telamonem Ol. 138,3 constituat, eum centum sexaginta unum annos numerasse apparet. Quamobrem hoc fecerit, facile posse declarari Mommsen censet. Quamquam hos octo annos intercalatos esse non ignoravit atque eos diversis annis adnumerare dubitavit, tamen anarchiam quattuor annorum computavit, id quod omnes annalium scriptores, quorum unum — scilicet Fabium — fontem secutus est, fecerant, ut incendium Gallicum eodem anno, quo illi, poneret. Quamobrem incendium Gallicum non Ol. 99,2 sed 98,2 constituit. — Quam Mommseni sententiam Holzapfel l. l. p. 229 non modo secutus est, verum etiam censet Polybium ipsum non animadvertisse se diversas rationes chronologiae adhibuisse: „Dass Polybius mit Bewusstsein zwei verschiedene Zeitrechnungen neben einander angewandt haben sollte, ist wenig wahrscheinlich. Eher dürfte anzunehmen sein, dass ihm, als er unter Benutzung des Fabius den Bericht über die Gallierkriege abfasste, jene zwischen den Fasten des Fabius und der offiziellen Magistratsliste bestehende Differenz nicht gegenwärtig war.“ Quae sententia dignitati Polybii non congruere videtur, eo minus, quod Holzapfel etiam coactus est putare — l. l. p. 207 et 217 — Polybium sibi minime constantem fuisse: „Bei Angabe von Intervallen nach Jahren in Kardinalzahlen kann ein bestimmter Sprachgebrauch nicht konstatiert werden,“ et p. 217: „Da Polybius das zwischen 408 und 421 (bei Fabius) liegende Intervall als dreizehnjährig bezeichnet, dagegen für die folgende Periode



---

bis 452 (bei Fabius) 30 Jahre rechnet, so ergiebt sich, dass er bei derartigen Zeitangaben nicht konsequent rechnet, indem er bald bloss das Anfangsjahr, bald auch das Endjahr ausschliesst.“

Narratione Polybii accurate inquisita et cum iis, quae Livius profert, collata haec contendenda nobis esse videntur: Cum ea, quae Polybius tradidit, etiam apud Livium reperiuntur, multum abest, ut omnia ab hoc auctore relata parvi aestimemus aut prorsus neglegamus.

---

Pars II huius quaestionis proximo anno edetur.

---